



**Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen
Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark
Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1856

V. Das Cistercienser Nonnenkloster in Ziesar nimmt den Probst des
Klosters in Zehdenick in seine geistliche Genossenschaft auf, am 23. April
1363.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54716)

confessorum et virginum beatarum. Item si quod abbat, monasterium dictarum sanctimonialium in Seyeser aliquando in futurum quocunque contigerit redigi ad nihilum seu annullari, tunc saepe dicti mansi et molendinum cum suis redditibus, jure et proprietate praedictis ad praepositum et capitulum ecclesiae Brand. pro dictis memoria et festis peragendis pertinebunt et devolventur. Si autem ipsum monasterium aliquando in futurum de loco Seyeser ad alium locum contingit quocunque etiam casu mutari vel transferri, mansi vel molendinum cum praedictis omnibus transibunt omni jure et proprietate cum eodem apud sanctimoniales remanendo. Nos igitur Thidericus episcopus praedictos duos mansos et molendinum cum pactu, censu et aliis redditibus suis nec non cum jure, commodo et utilitate omnibus praedictis de consilio et consensu dominorum praedictorum sic vendendo appropriavimus et praesentibus appropriamus, supra dictis dominabus abbatissae, priorissae et sanctimonialibus, quae utique coram nobis ad memoriam anniversariorum ac celebrationem festorum praedictorum nomine suo et suarum succedentium astrixerunt, renunciantes pro nobis solemniter et nostris successoribus omni juri, quod nobis vel ipsis nomine ecclesiae nostrae competat in eisdem vel quolibet competere poterit in futurum. In testimonium omnium etc. Datum Seyesere anno domini M. CCC. LXI ipso die Agathae virginis, praesentibus honorabilibus viris et discretis domini Nicolao Dochow, nostri officiali, Hinrico, plebano in Teltow, nostro notario, Christiano de Nuenburch in Vorland et Johanne Vicenitz, altaritis, nostris capellanis nec non strenuis et validis viris Henningo de Luderitz milite, Gerharde de Byeren, nostro advocato, Gherkino Koten, Johanne et Conrado Vogelsak, nostris fidelibus et vassallis et quam pluribus aliis fide dignis.

Aus einem Brandenburger Copialbuche.

V. Das Cistercienser Nonnenkloster in Ziesar nimmt den Probst des Klosters in Zehdenick in seine geistliche Genossenschaft auf, am 23. April 1363.

In nomine domini. Amen. Nos, Sophia, dei gratia abbatissa in Syeser, totumque collegium sanctimonialium ibidem, per presens scriptum publice protestamur, quod nos contulimus honorabili ac discreto viro, domino Nicolao, praeposito dominarum in Cedenik, plenam fraternitatem ac communionem omnium bonorum: jejuniorum, vigiliarum, castigationum, ceterorum bonorum, quae apud nos ac apud octoginta monasteria Cisterciensis ordinis operari die noctuque dignabitur clementia salvatoris, adjicientes insuper tum, cum obitus vester nostro capitulo fuerit intimatus, pro vobis fiet id, quod pro fratribus et pro sororibus nostris fieri est consuetum. Datum in Syeser anno domini M^o. CCC^o. LXIII^o. in die Georgii martiris nostro sub sigillo.

Nach dem Originale im Brandenburger Domarchiv aus Gesslers Abschrift.